



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. XVIII. Describit mortem peccatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

## CAP. XVIII.

*Describit mortem peccatoris.*

**E**XISTIMANT homines pecca-  
tores, me peregrè profectum nun-  
quam redditurum, ut ponam rationem  
cum eis. Stulta nimis est persuasio hæc,  
cum statutum sit omnibus hominibus  
semel mori. Citò veniam reddere vni-  
cuique secundum opera eius: & sicut  
nullum opus pietatis sine præmio re-  
linquam, ita nihil impietatis inul-  
tū remanebit. Veniet nox in qua nemo  
potest operari: quando iubebo mini-  
stris meis, ut serum nequam, crude-  
lem in conseruos suos, & ingratum  
innumerabilibus misericordijs mei,  
mittant in tenebras exteriores. Væ  
impi in malum. Væ horæ illi extre-  
mæ, in qua peccatoris anima adultera  
in umbram mortis, & horrorem sem-  
piternum præcipitabitur. Erat in terra  
defixa, ubi capiebat prohibita solatia  
sua, immemor angustiæ superuenturæ:  
& auelliatur de tabernaculo suo fidu-  
cia eius, & calcat super eam, quasi rex,  
interitus. Tunc dicit illi cor suum im-

G 3

meno

menso pondere iniquitatis oppressum:  
Vide quia malum, & amarum est, reli-  
quisse te Deum tuum, & non fuisse ti-  
morem eius apud te. Iam non supereft  
locus pænitentiaz, & peccata tua, ter-  
roresque Dei militant contrate. Quid  
profuit tibi iactantia, & color munda-  
næ gloriæ, quam quæfisti? Ecce omnis  
voluptas tua in amaritudinem versa  
est; & deuorat pulchritudinem cutis  
tua primogenita peccati, mors. Respi-  
ce canes multos latrantes, & rabie in-  
citatos, qui te circumstant, vt te prædā  
suam inferorum faucibus detrudant.  
Hæc, & similia suggerit cor hominis  
injusti male morientis: qui antequam  
expiret, cruciatum inferni in ipso le-  
cto præsentit. Et ego æquissimus Iudex  
impi morienti sic respondeo, stulte e-  
gisti infælix homo, cùm recessisti à me.  
Multiplicasti delicta, quasi nunquam  
moriturus: nemo nunc eripiet te de  
manu mea Quando videbas furem, &  
currebas cum eo, & cum adulteris por-  
tionem tuam ponebas: Quando os tuū  
aduersus innocentes abundabat mali-  
zia, & lingua tua concinnabat dolos:

ego

ego patienter sustinebam, ut te longanimitate mea, ad pænitentiam prouocarem. Tu verò odiisti disciplinam meam, & proiecisti sermones, & inspirationes meas retrorsum: & secundum duritiam tuam, & impenitens cor thesaurizasti tibi iram in diem iræ, & iusti iudicij mei. Recurre nunc, in angustia mortis ad Deos tuos, in quibus habebas fiduciam. Surgant, & opitulentur tibi, & in necessitate te protegant. Hoc est iudicium, & fors hominis extra gratiam meam morientis, qui sua impietate constringitur, & damnatur. Quocirca qui habet aures audiendi suavitat, & tamquam reus ingemiscat ut me quasi iudicem in vita sustinens, in agone mortis, quasi clementissimum patrem inueniat.

## CAP. XIX.

Hortatur IESVS CHRISTVS  
ad considerationem vitæ suæ.

DESOLATIONE desolata est omnisterra, ô filij, quia nullus est, qui recogitet corde, & consideret opera mea, quibus saxa mouentur.

G 4

Certè